

LVNÆ DIE 18 M. AVGVSTI A. 2014

A.d. XV Kal. Septembres a. MMXIV

I 8 I

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

REDACTRIX
Francisca Derædt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org

Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P912128

CEDAT VIS INGENIO

– scripsit Gaius Licoppe –

Modo comperi in Foederatis Americæ Civitatibus feminam quandam factam esse bellicæ classis admiralia; hoc est optimum exemplum universæ æqualitatis amborum sexuum, quæ nostra ætate provehitur.

Non dubitandum est quin illa admiralia totam scientiam habeat necessariam ut munere fungatur; hoc quidem sufficit tempore pacis, sed tempore belli habeatne femina eandem indolem bellicosam ferocemque ac v.g. admiralius Nimitz in bello contra Iapones?

Quousque valere potest æqualitas virorum et mulierum? Natura est respicienda. Viri numquam parient; hæc est inæqualitas, quæ mutari non potest.

Alia naturalis inæqualitas exstat, cuius effectus maximi sunt momenti: in genere enim humano valentia apud mulieres valde minor est quam apud viros; idem non est in omnibus mammalium generibus. Propter hanc physicam debilitatem mulieres viris submissæ vivunt in societatibus ubi prævalet vis physica; leges a solis viris conduntur et hoc in ipsorum bonum. A tempore satis recenti, quo machinæ in locum humanorum musculorum in civitatibus industria moderna præditis magis magisque substitutæ sunt, ingenii facultates maioris utilitatis factæ sunt quam valentia; cum in ingenii facultatibus exstat vera sexuum æqualitas, feminæ poposcerunt et gradatim in Occidente adeptæ sunt æqualitatem iurum, accessum ad totam institutionem, facultatem omnibus muneribus fungendi et licentiam participandi vitam publicam, ita ut leges iam non condantur a solis viris.

Superest autem in civitatibus occidentalibus rixa satis vehemens: licetne feminis de sui uteri continentia libere statuere? Adhuc non desunt civitates, in quibus mulieres hac libertate orbantur. Multi enim homines, religione nixi, fetus ius ab initio vivendi defendunt; notandum est hoc initium scientia moderna incerte definiri. Contraria vero cogitatio non est sine pondere: non enim sufficit embryum ortum esse, oportet quoque a societate et præsertim ab ipsa gravida femina accipiatur. Nunc fieri potest ut graves fetus anomalix in utero detegantur; tunc abortus feminæ merito proponitur, ne pueri vita et ei ipsi et familiæ sit oneri; hoc antiqui etiam faciebant, sed magis crudeliter cum infantes aliquo corporis vitio affectos exponere solebant. Præter fetus vitium sunt vitæ condiciones, quibus feminæ fetum gerere nolint, sive obstupratæ, sive opibus carentes, sive nimis iuvenes. Abortus satis recenter lege permittitur in plerisque civitatibus Europæ et Americæ septentrionalis.

Magnæ difficultates oriuntur ex onere maternitatis. Etsi prudentes feminæ ipsæ nunc statuere possunt quando gravidæ fiant et sic tandem prolem suam tem-

perare, tamen graviditas, partus et infantium cura impediunt ne eodem tempore ad alias res gerendas operam dent.

In diario Belgico *Le Soir* diei 11 m. Iulii 2014 magna symbola tractatum est de frequentioribus mulieribus, quæ ultra quadragesimum annum pariunt. Medici enim monent decursu annorum ovula in ovario pauciora fieri et minoris qualitatis; quare suadent ne feminæ ultra 35 annum pariant. Facile dictu, non factu. Pretium feminæ libertatis est necessitas extra domum laborandi, ac mos nunc est ut ambo coniuges aliquo munere fungantur. In «mercato laboris», qui vocatur, certandum est ad bonum munus inveniendum vel servandum; cum in hoc certamine graviditas sit impedimentum, multæ mulieres eam differunt. Symbolæ auctor fatetur humanam societatem in Occidente novis mulierum condicionibus se aptare nondum valuisse.

Quousque ad eadem munera valent ambo sexus? In muneribus eligendis oriuntur difficultates. Sunt enim munera, in quibus valentia adhuc necessaria sit, ut in militia; certe in modernis exercitiis feminæ locum utilem habent, tamen non inter milites pugnantes. Item in custodia publica, multa loca sunt feminis apta, sed non inter custodes, quibus ordo publicus est servandus et latrones persequendi.

Sunt quoque difficultates in nonnullis muneribus in quibus vis est nullius momenti. In arte medica, exempli gratia, mulieres et viri æque valent diploma adipisci, at cum postea agitur de curandis ægrotantibus, viri plerumque sunt feminis efficaciores; quare multæ medicæ se convertunt ad aliquam specialitatem in qua necessitates sexus sibi sint minori impedimento.

Res publica videtur feminis minus curæ esse quam viris; cum iuniores sunt, cura rei privatæ præsertim occupantur et, si amore capiuntur, cura sui viri; caritate magis abundant quam viri. Inter seniores mulieres, plures rem publicam curant nec desunt quæ inter omnes emineant et emineant; paucas tantum citabo: in Francogallia Simona Veil, dum administra publica Sanitatis est, effecit ut abortus lege permitteretur; etiam fuit prima femina Præses Parlamenti Europæi et sexta femina cooptata inter sodales Academiæ Francogallicæ (notandum est primam, Margaritam Yourcenar, non ante annum 1980 esse cooptatam); in Germania Angela Merkel est prima Cancellaria et manifesto a concivibus multum æstimatur; in Lituania Dalia Grybauskaitė bis electa est civitatis Præses.

Cicero dixit «Cedant arma togæ» (*De Off.* I, 22); unde nobis hodie dicendum est «Cedat vis ingenio»; infeliciter hæc sententia nondum respicitur in permultis orbis terrarum regionibus. ☞

DE 'AGNO MYSTICO' CLARO RETROTABVLO EIVSQVE MIRIS VICISSITVDINIBVS

– scripsit Francisca Deraedt –


Sæculo quinto decimo homines fortunati paradisum propria ratione mereri solebant: dono enim satis digno emebant sedem in cælo. Hoc pio scrupulo motus, dives quidam civis Gandavensis¹ non dubitavit adire pictores illo tempore clarissimos: Hubertum van Eyck (c. 1366-1426) eiusque fratrem Iohannem (c. 1390-1441), qui operam tum dabat in aula ducis Burgundiæ. Sic factum est ut vir noster magnifico munere ita ornaret ecclesiam cathedralem, ut oculi nostri tanta pulchritudine etiam hodie stupeant.

Gandavum eo tempore urbs est commercio lanæ et cervesiæ opulenta. Iodocus (Joost) Vijdt, qui etiam fuit burgimagister, matricularius² est huius ecclesiæ, quæ tunc temporis dicata est sancto Iohanni. Itaque mirum non est, hunc civem bene nummatum aliquod magnum opus suæ ecclesiæ offerre velle. Mandat ergo retrotabulum³ in privato uxoris sacello ponendum.

Retrotabulum, quam rem nos vocamus etiam polyptychum, sed Medio Ævo polyptychum erat catalogus,⁴ est corpus 24 tabularum pictarum et inter se coniunctarum, quod claudi et aperiri potest. Id, quod hic admiramur, habetur ut summa ars illius temporis, nova etiam, cum artifex transgressus sit normas mediævales et naturam magno studio descriperit.

Tabulæ circumligatæ sunt formis ligneis, quæ non iam sunt originales, cum tempore reformationis protestanticæ sint deletæ. In eis titulus inscriptus indicabat et adhuc indicat pictorem Hubertum van Eyck optimum esse omnium: «maior quo nemo repertus», eiusque fratrem Iohannem, qui opus defuncto fratre perfecit, vix esse imparem: «arte secundus». Et re vera opus est mire pulchrum.

Nihil autem in eo descriptum est sine ratione.



Adam

Quamquam certe non omnia poterimus singillatim inspicere et enodare, nonnulla tamen possunt animadverti. Iodocus et eius uxor Elisabetha (Lysbette Borluut), qui redemptionem sive salvationem expectant, se in parte aversa, id est visibili cum retrotabulum est clausum, ostendunt tamquam peccatores, ut sunt Adam et Eva in altera parte descripti. Supra eos, annuntiatione promittitur salvatoris adventus. Inter archangelum Gabrielem et Mariam sunt duæ scænæ perdelicatæ, quæ ad vitam cottidianam pertinent: prospectus ad urbem et labellum. Infra, inter coniuges, stant Iohannes Baptista et Iohannes Euangelista – haud mirum, cum ecclesia illo tempore dicata sit sancto Iohanni.

In parte autem anteriore, id est visibili cum retrotabulum est apertum, supra, præter Adam, cuius facies mirabiliter hodierna spectatorem commovet, tam tristis esse videtur, et Evam, in medio sedet Deus omnipotens, tiara papali indutus, una cum Maria et Iohanne Baptista.

Ad Dei pedes est hæc inscriptio: VITA SINE MORTE IN CAPITE, IVVE(N)T(VS) S(I)N(E) SENECTVTE I(N) FRONTE, GAUDIV(M) S(I)N(E) M(A)ERORE A DEXTRIS, SECVRITAS S(I)N(E) TI(M)ORE A SINIST(RI)S. Quæ inscriptio spectat ad ipsas imagines: si homo vivet in spiritu Dei (supra), habebit vitam æternam; si colet fontem vitæ (agnum Dei, infra), semper erit novus; si eremitæ et peregrini in Palæstina protegentur (infra ad dextram), non iam erunt luctus; si equites et iudices munere suo fungentur (infra ad sinistram), non iam erit timendum. Hoc autem quid est, nisi programma paradisiacum?

Ad sinistram angeli cantores, ad dextram angeli musici; nitorem eorum vestium pæne possumus oculis tangere; pulcherrimum etiam est analogium et orga-



Cain et Abel



Retrotabulum apertum...

... et clausum

num. Eva manu tenet parvum pomum, quod non est malum, sed genus citri. Supra capita Adami et Evæ conspiciuntur Cain et Abel.

Nonne diximus in eo opere nihil, aut pæne, descriptum esse sine ratione? In Mariæ corona conspiciuntur convallariæ.⁵ Qui flos humilitatem significat, sicut exempli gratia, aliis locis, liliū ostendit sinceritatem et pæonia⁶ lumen Christi. Etiam taraxacum⁷ nobilitatem suam habet: Iudæi enim, antequam ad Terram promissam iter faciunt, agnum edunt planta amara conditum, quæ est taraxacum. Similiter in scæna præcipua, qua describitur agni sacrificium, multæ pictæ sunt arbores, quæ ad Belgicam non pertinent: non enim in patria sumus, sed in paradiso.

Spectemus nunc tabulas, quæ sunt infra. Ad dextram sunt peregrinatores, postea eremitæ, ad sinistram equites Christi, et denique iudices integri, de quibus mox plura erunt dicenda.

Quid autem est agnus mysticus? Habetur ut imago sacrificii, quod Christus pro hominibus passus est. Agnus est etiam signum innocentiae, necnon primum donum quod Abel Deo dedit.

In altari scriptum est: ECCE AGNVS DEI QVI TOLLIT PEC(CA)TA MV(N)DI. IHES(VS) VIA VITA V(ER)IT(AS).

Circum circa congregati sunt homines electi: apostoli, prophetæ, ecclesiae proceres, iusti, nec tantum iusti Veteris Testamenti, sed omnes iusti, ut videtur, cum homo toga candida vestitus habeatur ut Vergilius.

Quis autem imaginari potest, cum hæc omnia singillatim observet et miretur, historiam huius retrotabuli etiam esse veram fabulam criminalem? Est tamen, plane. Hoc enim clarissimum opus compluries raptum est a variis furibus.

Primi fuerunt Francogalli. Qui anno 1794, post-

quam apud oppidum *Fleurus* victoria superaverunt Austrios eorumque socios, Belgicam occupant. Medias retrotabuli tabulas Lutetiam auferunt in museum Luparæ. Post Napoleonis casum aliæ redduntur, aliæ venduntur. Eas emit rex Prussiæ Fridericus Vilelmus III, summa ingenti.

Sæculo undevicesimo Adam et Eva, cum sint nudi, iudicantur ecclesiae cathedrali parum convenire. Anno 1861 emuntur a re publica Belgica ac deponuntur in regiis museis bellarum artium.

Inter primum bellum mundanum, Germani alias tabulas rapiunt, quas postea reddere coguntur una cum eis a rege Prussiæ, etsi legitime, emptis. Tota res tum iterum stat in Gandavensi ecclesia cathedrali, etiam Adam et Eva.

Pax autem non est longa. Per totum bellum alterum, retrotabulum huc illuc transportatur ut locis quam maxime tutis servetur ab Adolpho Hitlero, qui rem iussit in Bavariam transferri. Bello tandem perfecto, opus Belgicæ restituitur. Deest tamen una tabula, ea de Iudicibus integris inscripta.

Ante bellum enim, anno 1934, mense Aprili, noctu clanculum evanescent Iudices integri una cum tabula Iohannis Baptistæ quæ est in retrotabuli parte aversa. Posteris diebus episcopus Gandavensis epistulas accipit, quibus postulatur pro redemptione unus francorum milio. In tertia epistula etiam inest tessera depositionis ad septentrionalem stationem ferroviariam, Bruxellis, pertinens. In quo deposito invenitur miser Iohannes Baptista. Vir ergo, qui has epistulas (tredecim fuerunt) conscripsit, re vera est fur ecclesiae cathedralis. Qui minatur se Iudices integros esse deleturum, nisi suum accipiat milionem.

Paucis mensibus post, quidam Arsenius (Arsène)



Inter archangelum et Mariam: prospectus ad urbem

Goedertier, argentarius, pictor, olim director Academiæ bellarum artium urbis *Wetteren*, ceterum vir temerarius, amans fabularum criminalium, est moriturus. Extremum spiritum reddens, amico advocato nomine De Vos susurrat se solum esse, qui sciat ubi sint Iudices integri.

Mirum in modum, advocatus custodes publicos de hac re non statim certiores facit, sed uno mense post. Tamen in Arsenii domicilio inveniuntur epistularum exemplaria necnon duæ claves, quarum altera accessum dat ad ecclesiam, altera pertinet ad depositum stationis Gandavensis, ubi invenitur machina scriptoria. Infeliciter custos quidam publicus ea statim utitur, unde fit ut signa digitalia perdantur. Nemo umquam sciet num Arsenius Goedertier re vera sit epistularum auctor aut etiam fur, quamquam solus agere non potuit.

Nunc autem, postquam octoginta anni transierunt, spes tabulæ iterum inveniendæ nondum est deposita: nova enim inquisitio nuper mandata est cuidam viro qui, cum novissimis utatur indagandi rationibus, non iam vocandus est vigil aut inquisitor, sed «analysta criminalis». Videbimus quid inde oriatur.

Interea Iudices integri, quos suo loco possumus admirari, sunt exemplar anno 1945 depictum a Iosepho (Jef) Vanderveken, artifice imitationis refectionisque perito. Ceterum opus totum nunc paulatim reficitur diligentia maxima, unde fit ut retrotabulum partim conspici possit in ecclesia cathedrali, partim in museo bellarum artium ubi laborant refectores.

Hæc hactenus de eximio artificio, cuius miras vicissitudines nemo umquam potuit prædivinare. Denique, bone lector, nisi Gandavum eiusque ecclesiam cathedralem petere potes, suadeo ut imaginem tantæ pulchritudinis concipias ex hac sede interretiali: *Closer to van Eyck* (clostervaneyck.kikirpa.be), in qua mirum in modum ostenduntur etiam minutissima.

APPENDIX: AGNUS IN SACRA SCRIPTURA

Ex 12, 1-13

Dixit Dominus ad Moysen et Aaron in terra Ægypti: «Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni. Loquimini ad universum coetum filiorum Israel et dicite eis: Decima die mensis huius tollat unusquisque **agnum** per familias et domos suas. (...) Et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis huius, immolabitque eum universa congregatio filiorum Israel ad vesperam. Et sument de sanguine eius ac ponent super utrumque postem et in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum; et edent carnes nocte illa assas igni et azymos panes cum lactucis amaris. Non comedetis ex eo crudum quid nec coctum aqua, sed tantum assum igni; caput cum pedibus eius et intestinis vorabitis. Nec remanebit quidquam ex eo usque mane; si quid residuum fuerit, igne comburetis. Sic autem comedetis illum: renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, et comedetis festinanter; est enim Pascha (id est transitus) Domini!

Et transibo per terram Ægypti nocte illa percussamque omne primogenitum in terra Ægypti ab homine usque ad pecus; et in cunctis diis Ægypti faciam iudicia, ego Dominus. Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus, in quibus eritis; et videbo sanguinem et transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti.

Io 1, 28-37

Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem, ubi erat Ioannes baptizans.

Altera die videt Iesum venientem ad se et ait: «Ecce **agnus Dei**, qui tollit peccatum mundi. Hic est, de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat. Et ego nesciebam eum, sed ut manifestetur Israel, propterea veni ego in aqua baptizans». Et testimonium perhibuit Ioannes dicens: «Vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo, et mansit super eum; et ego nesciebam eum, sed, qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: 'Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto'. Et ego vidi et testimonium perhibui quia hic est Filius Dei».

Altera die iterum stabat Ioannes et ex discipulis eius duo, et respiciens Iesum ambulans dicit: «Ecce **agnus Dei**». Et audierunt eum duo discipuli loquentem et secuti sunt Iesum.

Apc 5, 6-14 & 6, 1-17

Et vidi in medio throni et quattuor animalium et in medio seniorum **Agnum** stantem tamquam occisum, habentem cornua septem et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram. Et venit et accepit de dextera sedentis in throno. Et cum acce-

pisset librum, quattuor animalia et viginti quattuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas et phialas aureas plenas incensorum, quæ sunt orationes sanctorum. Et cantant novum canticum dicentes: «Dignus es accipere librum et aperire signacula eius, quoniam occisus es et redemisti Deo in sanguine tuo ex omni tribu et lingua et populo et natione et fecisti eos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabunt super terram».

Et vidi et audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni et animalium et seniorum, et erat numerus eorum myriades myriadum et milia milium dicentium voce magna: «Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem et divitias et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem». Et omnem creaturam, quæ in cælo est et super terram et sub terram et super mare et quæ in eis omnia, audivi dicentes: «Sedenti super thronum et Agno benedictio et honor et gloria et potestas in sæcula sæculorum».

Et quattuor animalia dicebant: «Amen»; et seniores ceciderunt et adoraverunt.

(6) Et vidi, cum aperuisset Agnus unum de septem signaculis, et audivi unum de quattuor animalibus dicens tamquam vox tonitruum: «Veni». Et vidi: et ecce equus albus; et qui sedebat super illum, habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens et ut vinceret.

Et cum aperuisset sigillum secundum, audivi secundum animal dicens: «Veni». Et exivit alius equus rufus; et qui sedebat super illum datum est ei, ut sumeret pacem de terra et ut invicem se interficiant, et datus est illi gladius magnus.

Et cum aperuisset sigillum tertium, audivi tertium animal dicens: «Veni». Et vidi: et ecce equus niger; et qui sedebat super eum, habebat stateram in manu sua. Et audivi tamquam vocem in medio quattuor animalium dicentem: «Bilibris tritici denario, et tres bilibres hordei denario; et oleum et vinum ne læseris».

Et cum aperuisset sigillum quartum, audivi vocem quarti animalis dicentis: «Veni». Et vidi: et ecce equus pallidus; et qui sedebat desuper, nomen illi Mors, et Infernus sequebatur eum, et data est illis potestas

super quartam partem terræ interficere gladio et fame et morte et a bestiis terræ.

Et cum aperuisset quintum sigillum, vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei et propter testimonium, quod habebant. Et clamaverunt voce magna dicentes: «Usquequo, Domine, sanctus et verus, non iudicas et vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra?».

Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, et dictum est illis, ut requiescant tempus adhuc modicum, donec impleantur et conservi eorum et fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut et illi.

Et vidi, cum aperuisset sigillum sextum, et terræ-motus factus est magnus, et sol factus est niger tamquam saccus cilicinus, et luna tota facta est sicut sanguis, et stellæ cæli ceciderunt in terram, sicut ficus mittit grossos suos, cum vento magno movetur, et cælum recessit sicut liber involutus, et omnis mons et insula de locis suis motæ sunt. Et reges terræ et magnates et tribuni et divites et fortes et omnis servus et liber absconderunt se in speluncis et in petris montium; et dicunt montibus et petris: «Cadite super nos et abscondite nos a facie sedentis super thronum et ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, et quis poterit stare?».

1. Gandavum, urbs in Belgica (*Gent, Gand*).

2. Matricularius (Fr. *marguillier*) is est, qui in parochia matriculam curat, i.e. indicem pauperum quibus danda est eleemosyna. Cfr C. du Fresne Sieur du Cange, *Glossarium mediæ et infimæ Latinitatis*, 1883, V, p. 306 sq.


3. Du Cange, *op. cit.*, VII, p. 169: retrotabulum, posticum altaris, seu eius ornamentum, Gall. *retable*.

4. Du Cange, *op. cit.*, VI, p. 399: polyptychum, liber commentarius in quem redigebantur seu regerebantur acta publica, atque adeo domestica quævis.

5. Fr. *muguet*. A.L. de Jussieu, *Genera plantarum secundum ordines naturales disposita*, Lutetiæ, 1789, p. 42.

6. Fr. *pivoine*.

7. Fr. *pissenlit*. Jussieu, *op. cit.*, p. 169.



ELOCUTIONVM EXERCITATIONES

– scripsit Ioannes Franciscus Arnoud –

Raymond Queneau (1903-1976), scriptor et poeta Francogallus, aliquamdiu diurnarius, rector notissimæ «Encyclopédie de la Pléiade», etiam fuit mathematicus necnon sodalis miri Collegii Pataphysicæ, quod se ipsum commendat ut «societatem inquisitionum tam doctarum quam inutilium». Clarus factus est permultis operibus, inter quæ memoranda sunt 'Pierrot mon ami' (1942), 'Exercices de style' (1947), 'Zazie dans le métro' (1959), 'Cent mille milliards de poèmes' (1961).

Singulari libro 'Exercices de style' inscripto undecentis narratur una eademque historia (adulescentem laophorum conscendere etc), undecentum modis: id est modo interrogatorio, vulgari, somniali, metaphorico, geometrico, medico, homophonico, belenistico, tactili, macaronico, et ita porro.

Umberto Eco hæc 'Exercitia' in Italicum convertit. Ecce nunc, bone lector, lepida adaptatio Latina! FD.

Argumentum ex libro a Raimundo Queneau scripto: A quodam die, hora viatorum celebritatis, procerus adulescens, longissimo collo, qui petasum funiculo contexto pro tæniola ornaverat, in laophorum S ascendit. Queritur cum vicino, quotiens laophorum constitit, nam eum, dum viatores ascendunt et descendunt, pedem pede obterere. Postea in sedem vacuum irruit.

Duabus post horis in area Romæ, in statione Sancti Lazari, idem adulescens cum eiusdem farinae adulescente colloquitur. «Pænulæ», inquit arbiter ille elegantiarum, «fibulam altius tollendam esse.»

M. TULLI CICERONIS MORE:

«Video, patres conscripti, in me omnium vestrum ora atque oculos esse conversos, sed a vobis quæro quo usque tandem iste procerior quam celsior puer, longissimis faucibus, cui petasus non infula, ut decet, sed, pro dii immortales! funiculo contexto ac complicito ornatur, qui etiam rædam in longam, quæ S vulgo appellatur, vectoribus plenam et impletam ascendit, patientia Quiritis vicini, finitimi, proximi abutatur? Quocum, o tempora! o mores! queritur quotiens hæc ræda vectoria publica, consistat, iter intermittat, in via commoretur, dum ex vectoribus alteri ascendunt, alteri descendunt, totiens is pedem pede premat, obterat, proculcet! O di immortales! Ubinam gentium sumus? Qua in urbe vivimus? Iste autem vir pessimus, cum sedem vacare animadvertit, in eam ubi considat inruit!

Nescio quo pacto, patres conscripti, tertia hora post, in area Romana, in statione Sancti Lazari, eundem puerum, longe lateque cum puero eiusdem farinae, qui tanquam magister munditiarum isti: 'Amiculi fibulam

altius esse tollendam', colloquentem video.»

C. SALLUSTI PRISCI MORE:

Die quodam, meridie fere, adulescens, collo in longitudinem porrecto, quippe quous galerus haud infulatus sed funiculo contorto ornatus, in petorritum publicum ac frequentissimum scandit. Ceterum cum vicino queri cœpit de eius pravus moribus quod, quotienscumque vehiculum constitit, quum alteri viatores ascendunt, descendunt alteri, pedes proculcat. Post ea ipse in vacuum sellam currit.

Duabus post horis idem adulescens cum adulescente altero ac eiusdem habitus ante stationem Sancti Lazari, in area Romæ, colloquuntur. Ceterum hic illi eiuscemodi verba facit: togæ fibulam altius tollendam.

C. PLINI SECUNDI MORE:

C. Plinius L. Tiburtio suo s.

Stipem para æream et auream accipe fabulam, etsi volui tibi multa alia scribere, tota certe mens in hac una contemplatione defixa est. Adulescentem cogito, adulescentem video, prolixissimo collo, sic petasatum ut pro tæniola contexto funiculo utatur. Hic ceterum in publicum et celebritate refertissimum currum ascendit, sed cum quodam vicino queritur quod, quotienscumque vehiculum consistit et viatores partim introeunt, partim exeunt, is pedem pede obterit. Sed sellam vix vacantem ut primum vidit, ipse in eam irruit.

Optimus tamen modus est. Quis negat? Sed non minus non servat modum, qui infra rem quam qui supra, qui adstrictius quam qui effusius dicit. Itaque, ut fabulæ finem tibi faciam, duabus post horis, amplissima in area Romana ante Sancti stationem Lazari, hic adulescens adulescentem sui similem nanciscitur, a quo munditiarum peritissimo monetur ut pallii fibulam altius tollat. Vale.

C. IULI CÆSARIS MORE:

Tum demum legatus oratione Cæsaris adductus quod antea tacuerat proponit: Fuisse procerum adulescentem, cui porrectus in longitudinem collus esset, cuiusque petasus pro tæniola funiculum contortum ornaretur, qui meridie alicuius diei in laophorum S viatoribus plenum ascenderet. Hunc autem cum vicino suo queri quod, curro publico consistente, viatoribus descendentibus et ascendentibus, pedes proculcaret. Repente postea vacuum in sedem præcipitari. Tertia

hora post, ante stationem Sancti Lazari, in area Romæ, eundem adulescentem cum altero adulescente moribus simili convenire, qui priori diceret fibulam pallii altius tollendam esse.

SPINOZÆ MORE:

De libertate humana.

Propositio XLIV

Quo magis res singulares intelligimus, eo magis parvulam fabulam intelligimus.

Demonstratio

Patet. Tertium cognitionis genus procedit ad adæquata idea cuiusdam adulescentis petasi pro tæniola funiculum complicitum habentis ad adæquatam cognitionem laophorii viatoribus referti (vide huius Defin. in 2. Schol. Prop. 40. p. 2) & quo magis hoc modo a vicino pedes adulescentis proculcari et querelas intelligimus, eo magis (per Prop. præc.) quotienscumque laophorum consistit viatorum altera pars eo ascendit, altera pars hinc descendit ac proinde (per Prop. 28. p. 4) summa vacuæ sedis virtus, hoc est (per Defin. 8. p. 4) cursus pedibus potentia, seu in area Romæ prope stationem Sancti Lazari, sive (per Prop. 7. p. 3) cum altero adulescente moribus æquo summus conatus est fibulam altius tollendam intelligere tertio cognitionis genere. Q. E. D.

Scholium

Communis vulgi persuasio alia videtur esse. Nam plerique videntur credere adulescentem eatenus pallium suum male claudere, quatenus ei fibula egere non licet.

EX APOSTOLIS:

Parabola iuvenis ad fibulam.

36 Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas et aliam parabolam proposuit discipulis dicens: Simile factum est regnum cælorum laophoro S dicto, in quo viatores ascendunt et descendunt, quotiens commoratus est. 37 De die autem illa et hora nemo scit neque angeli cælorum nisi solus Pater. 38 Iesus dicebat et discipuli audiebant ad invicem. 39 Audite: Ecce in laophoro S dicto adulescens, cuius collus longissimus est, cuius petasus pro tænia contortum habet funiculum. 40 Dies iræ, dies illa, cum adulescens queritur contra proximum, quia is vicinus iuvenis pedes proculcat. Et adulescens supradictus a dextra Patris in sedem vacuum sedebat.

41 Et filius Hominis ait illis: Intellexistis hæc omnia? Discipuli dicunt ei: Etiam. 42 Et Iesus iterum dicit: In area Romæ prope stationem consecratam cui

olim dixeram: Lazare, veni foras! ambulat iuvenis ille cum amico suo, qui ei dicit: Fibulam pallii altius tolle!
43 Qui habet aures audiendi, audiat.

HORATI MORE:

Scandit puellus sic petasatus et
camelopardi cervice præditus
rædam incita turba refertam;
sole moras referente crebras.

Peleia ira commotus ille fit
puer, Quiriti et nascitur
incensa vicino querela,
quod pede conterit alter urgens.

Statim ruit sellam in vacuum puer
Facta querela, curriculo ruit;
tum Lazari horis post duabus
in platea puerum Beati

nanciscor illum, dum mea mens stupet,
qui cum puello munditiis ratis
docto loquuntur: Fibulam, sis,
altius, ille ait, hance tolle!

MORE SANCTI AUGUSTINI:

Exaudi, Deus. Veni Lutetiam, et circumstrepebat me undique sartago viatorum. Homo mortalitatem suam et testimonium peccati sui circumferens, puer, ut Deus meus scis, perlongum collum habebat et, domine cæli et terræ, petasum gerebat. Sed pro infula resticula contorta petasum ornabat. Istene mos galeandi novissimus? Non est, domine, non est. Sed tamen, domine, Deus meus, tibi excellentissimo atque optimo conditori et rectori universitatis, Deo nostro gratias, etiamsi eum puerum male petasatum esse voluisses. Quotienscumque laophorum S frequens, domine, Deus meus, commorabatur, et vectores, creaturæ finitæ te infinito plenæ, introibant et exhibant, puer contra vicinum questus est, quia ille pedem pede premeret. Tantum anima eius lumine tuo, domine, Deus meus, indigens erat. Sed repente, cum sedes vacans esset, iste puer, domine, in eam irruit et adsedit. Sicut omnino tu es, tu scis solus, quare post duas horas eundem puerum in area Romæ prope stationem Sancti Lazari viderim. Tu mihi, domine, oculos dedisti ut viderem, sed semper in meam pusillitatem conversos nihil videre poteram. Tu fecisti illud, sed animam meam tibi, domine Deus meus, sitientem oculasti et vidi puerum cum puero eius simili perambulantem,

eique ille dicebat: fibulam pallio altius attollendam esse.


P. OVIDI MORE:

Sic placuit fatis; quæ ne convellere temptes,
Accipe cum vera dicta relata fide.
Cum venit ad celebrem puer alta cervice rædam,
Resticulam gestans in petasoque suo.
Ut redit itque frequens longum formica per agmen,
Granifero solitum cum vehit ore cibum,
Sic veniunt et eunt vectores nomine S hoc
Carpentum in longum, dum breve sistit iter.
Et puer iratus vicino pectora plangit,
Nam neglegens digitos conterit iste pedum.
Sed sedem vacuum speciens, dum lumina vertit,
Ille in eam currit, nec pudor ille fuit,
Qui citior ventis properat fidens pede. Cursu
Prompta supergreditur sic Atalanta procos.
Bis fusum torquet fatalem ferrea Clotho,
Horæ præripiunt temporis arta duæ,
Cum redeuntibus ostendit puerum Area Romæ;
Est puer idem! Adstat, conspicuusque comes,
Sunt similes ambo, pares et veste videntur,
Ambo circueunt, amboque verba ferunt;
Is qui munditiæ veneranda prævalet arte
Ad comitem dicit tollere vincla togæ.

ERASMI MORE:

Personæ: Eulalia, Xantippe.

EU. Salve multum, exoptatissima mihi Xantippe.
XA. Salve tantundem, mihi carissima Eulalia.
EU. Quid? Mihi, o Xantippe, videris agitatior mari undarum pleno!
XA. Quia, ecastor, tu non vidisti quod ego vidi.
EU. Vidissesne infernos errare canes?
XA. Noli irridere! Adulescentem vero quemdam vidi.
EU. Qui vir tuus ne talia audiat!
XA. Fac, quæso, istum cervesiæ bibulum missum!
Nunc, pace tua, ad adulescentem redeam! Hic enim, ecastor, heri laophorum ovo plenius et S dictum usurpavit...
EU. Studium tuum, o Xantippe, in minimis me valde delectat! Nempe res fuisset dissimilis, nisi adulescens aliud laophorum atque S usurpavisset?
XA. Videlicet, pessima! Nam cottidie hoc laophorum sumere soleo. Ita, ecastor, fors fuit ut in hunc adulescentem inciderem... ut mihi narrandæ rei facultas daretur.
EU. Perge, Xantippe mea, perge.
XA. Gratias tibi. Hic autem adulescens, creditu difficile, petasum gererat...
EU. Diceres rarius esse petasum gerere quam Pegasus terere.
XA. O lepidum dictum! Alacrior es! Sed ut ad adu-



lescentem redeam, hic circum petasum suum pro tænia funiculum posuerat... quod creditu difficile existimabam...

EU. De gustibus non disputandum...

XA. Est ut dicis, sed res satis iocosa mihi habebatur ut eius mentionem facerem.

EU. De gustibus non disputandum...

XA. Hem! Nimis, Eulalia, te amas neque aures tuas narrationi satis commodas, quæ iocari malis. Sed apage! Res incepta perficienda est.

EU. Sicut magister ludi loqueris... et nos ergo manum ferulæ subduximus.

XA. Ad rem, sis. Quotiens laophorum constitit, viatores partim ascendunt, partim descendunt.

EU. Apparet id quidem... etiam cæco. Est enim mos publici itineris.

XA. Sed in viatorum concursu adulescentis vicinus tam vexabatur ut non posset non miseri pedes proculcare.

EU. Manus manum lavat...

XA. Inde alter cum altero altercari. In rixam ibatur...

EU. Homo homini lupus...

XA. Hem!... nisi adulescens vacuum sedem vidit. In eam, ecastor, irrui et in ea considit.

EU. Ut præter spem evenit!

XA. Quæ cum ita sint, mea Eulalia, duabus post horis, cum reditus iter facerem, eundem adulescentem vidi.

EU. At pulchrum est digito monstrari et dicier: hic est!

XA. Hem! Hic autem in area ante stationem Sancti Lazari stabat et cum altero adulescente sui simili colloquebatur.

EU. Arcades ambo...

XA. Alter adulescens, qui novissime venerat, tanquam magister elegantiarum alteri adulescenti dixit: pænulæ fibulam esse tollendam. Ecce, Eulalia mea, narrationis finis et acta est fabula.

EU. Immo etiam, apta est fibula. ☞

DE MATERÆ CÆDIBVS IN ALTERO BELLO MVNDANO

– scripsit Victorius Sebastiani –

In Italia atque Europa cives qui hodie Materæ cædes in altero bello mundano sciunt perpauci sunt. Quæ cædes die 21 mensis Septembris anni 1943 acciderunt et atrocitates illæ «primæ» in Italia a militibus Germanis SS vocatis effectæ sunt.¹ Nulla culpa contra plerosque cives qui divulgationis hodiernæ beneficium non habuerunt, sed hanc rem acclarare possunt ii qui divulgationem consulto noluerunt ad historiam occultandam et delendam vitiandamque.


Matera originem trahit tempore neolithico, ut multa reperta in Museo Archæologico Nationali «Ridola» vocato demonstrant. Temporibus Romanis antiquis Matheola et Media Ætate Mathera ei nomen fuit. Regioni in qua hodie Matera sita est in Italia meridionali duo nomina sunt: Lucania (nomen Romanum antiquum) et Basilicata (nomen Græco-Byzantinum). In Charta Constitutionali nomen hodiernum officiale Basilicata est. Hodie Matera præclara est ut «Civitas Saxorum» (Italice «Città dei Sassi»). Saxa (cavæ, cryptæ, cisternæ, putei, scalæ, viæ, etc.) sunt Materæ partes antiquissimæ in tutela ordinationis mundanæ Italice UNESCO vocatæ.

Die 25 mensis Iulii anni 1943 Mussolini, regiminis Italici caput, a rege Italico cui nomen erat Vittorio Emanuele III comprehensus est et in carcere detentus est. Die 8 mensis Septembris anni 1943 Badoglio, Italici exercitus ductor supremus, in Sicilia pro Italia in documento indutiis subscripsit una cum ductoribus supremis Anglo-Americanis, quia contra eorum belli apparatus nihil aliud ab Italia Germanaque fieri poterat ad ingentes ruinas vitandas et innumeras vitas humanas servandas. Ergo ab eo die milites Italici et milites Germani inimici facti sunt.

Post duos dies Materæ milites fascali (Italice «fascisti») militum stationem deseruerunt unde per 20 annos regiminis potentiam exercuerunt. Ad stationem illam occupandam 35 milites Germani «Panzer» vocati advennerunt a duce iussi cui nomen adhuc ignotum est.

Alter ordinis superioris dux Germanus quoque Materam advenit cui nomen erat Wolf Werner Graf von der Schulemburg, qui 200 militibus decidualiis præerat.

Exercitus Anglici milites e navibus egressi sunt Tarenti, cuius portus haud procul a Matera est, et milites illi postea Materam quidem petere debebant. Ad damna afferenda contra Anglos, milites Germani multa deleverunt (vias, pontes, ferrivias, domus publicas, etc.) et per circa decem dies ruri et in urbe violentas prædationes contra communes cives effecerunt et omnia utilia ceperunt (cibaria, animalia, rædas, birotas, horologia, aurum, etc.).



Ergo homines odium in Germanos habuerunt quia iniuriam et violentiam tolerare iam non potuerunt. Sed «bellum contra civiles», a scriptore Germano explicatum,² non casu accidit quia constitutum fuit in documento «Consilium Achse» vocato et a duce maximo Kesselring scripto pro militibus Germanis. Dux ille maximus ipse Materam quoque advenit ut cum Schulemburgo de «Consilio Achse» ad usum transferre una loquerentur. Ipse fuit qui regulam constituit, qua pro uno milite Germano mortuo decem civiles sine distinctione (mulieres, senes, infantes, etc.) occidendi essent. Intra veros delatores et delatores simpliciter suspectos nullum discrimen faciendum esset quia ambo perire debebant. Hoc rite Materæ factum est.

Rebellionis scintilla exsiluit die 21 mensis Septembris anni 1943. Circiter horam quintam postmeridiam duo milites Germani in gemmarii taberna a domina administrata aurum prædari volebant. Arma automataria periculosissima habebant ergo domina terribile malum timebat. Milites Italici «Carabinieri» vocati, dominæ cognato vel amico petente, cito ad auxilium venerunt. Eorum dux cui nomen erat Giuseppe Cozzella placidus et cautus Germanis suasit abire quia domina illa in taberna aurum non habebat. Sed ii, anulum aureum in digito anulari indicantes, aurum petebant voce minaci et armis automatariis uti volebant. «Carabinieri», qui ut omnes milites rite ad periculum parati erant, armis ad usum promptis in sacculis, post signum a Cozzella duce oculis datum eos occiderunt. Paulo post milites Italici, una cum Materæ civibus qui tempore præterito milites fuerant et quomodo armis uterentur sciebant, defensionem armatam contra milites Germanos fecerunt. Media urbs antiqua dimicationis armatæ theatrum fuit.



Militibus Anglicis iam advenientibus, post aliquas horas cives Italici et numerus Germanorum perierunt. Sed antequam abirent duas cædes Germani SS vocati fecerunt. Ii 16 homines ceperunt, quorum 8 Italici exercitus iuvenes milites qui bellum deseruerant quia duces propter maximam confusionem eos iusserant domum redire et 8 homines civiles, qui alii Materæ cives alii advenæ fuerunt. In militum statione eos collocaverunt. Antequam illinc autocarris abirent, cuniculos pulvere pyrio plenos posuerunt et dispolitione demolitionem fecerunt. Unus miles Italicus tantum vixit. Germani incursionem quoque fecerunt ad societatis electricæ ædificium demoliendum, ubi tres ministri innocentes et inermes armis automatariis improvise occisi sunt et duo vulnerati, quorum unus in valetudinario post tres menses mortuus est, alter vixit.

Cives et milites fuerunt qui contra milites Germanos armis usi sunt usque ad urbis fines, quorum aliquot perierunt.

Atrocitates horrendæ fuerunt. Puer nondum 16 annos natus Vincenzo Luisi vocatus captus est et ut belli delator occisus, id quod incredibile est. Prima luce postero die mater eius Rosaria filii corpus partibus divisit agnovit inter stationis militum ruinas.



Matris dolor certe non inferior fuit quam dolor statuæ Pietatis a Michaelangelo sculptæ. Ceterum, Materæ miles qui a Germanis captus est dum domum a bello redit in via patris amicum vidit et desperatus auxilium petiit. Ille statim patri hoc dixit qui multam pecuniam, tantam quam haberet, militibus Germanis in statione dedit ad filium servandum (50.000 veterum lirarum) ut uxor postea declaravit, sed cum filio periit inter ruinas.

Duo fuerunt patres qui cum filiis perierunt: unus in statione militum, alter in societatis electricæ ædificio. Unus propriam uxorem viduam cum septem liberis alendis educandisque reliquit.

Lactarius cui nomen erat Domenico Di Noia primus ad ruinas post demolitionem venit quia domus eius haud procul erat. Serius declaravit victimarum capita in pulvere voluta esse et partes corporis huc et illuc abisse. Unum caput ægre spirabat quia corpus sub terra erat. Ille homo miser statim pulverem et terram tollere voluit circa collum, sed mox ultimum halitum caput emisit. Unus vivus erat, miles «missus»³ oriundus de Apulia, sed corpus eius condicionibus pessimis erat. Ergo Lactarius cum amico eum maxima cura in veteri carro rustico ab animali tracto posuerunt et ad valetudinarium ierunt ad eum servandum.

Præterea, lactarius bis in die permultum lac recens ad Germanorum stationem afferebat. Die demolitionis eum ceperunt et vi in statione posuerunt et portam clausurunt. Mox cito retro ambulavit, fenestram aperuit et post saltum domum cucurrit et illinc explosionem violentam audivit. In tutum se recipere potuit tantum quia omnia fecit rapidissime. Caput in pulvere non volvit.

Materæ civis fuit cui nomen erat Emanuele Manicone qui in priore bello mundano armis uti bene didicit. Eo die ira raptus cultro vehementer impetum fecit contra militem Austriacum exercitus Germanorum cui nomen erat Michael Alfons et eum vulneravit. Materæ cives pietate moti eum ad valetudinarium attulerunt, ubi post curam ut belli captivus exercitui Canadensi dederunt. Casus paradoxon est, quia propter vulnera ille miles Materæ mansit et post curam cum Canadensibus optime vixit, certissimus se domum rediturum esse et iuvenem et sanum et fortem. Id quod commilitionibus eius qui post Materam in Aprutium ierunt non accidit quia in «linea Gustav» a Gæta usque ad Ortonam permulti perierunt et illic post Materæ cædes Schulemburgus dux alios 124 obsides inermes et innocentes occidit. Post annos Michael Alfons Materam rediit ut cum civibus se reconciliaret. Urbs eum optime recepit. Manicone compectari non potuit ut certe volebat, quia ille civis postquam eum vulneravit armis captis una cum milite Italico cui nomen erat Vincenzo Rutigliano contra milites Germanos strenue pugnavit per horas, sed infeliciter ambo in urbis viis vulnerati sunt et post ingentes dolores mortui sunt ut veri patriæ amantes.

Testis internationalis magni momenti eo die fuit explorator Anglicus ex Magnæ Britanniaë Exercitu. Nomen eius verum adhuc nescimus. Ille dicebat sibi

nomen esse Mr Ganger et se subcenturionem esse Octavæ Legionis Anglici Exercitus. Mr Ganger scilicet falsum nomen erat et explorator ille ad arma adhibenda maximus expertus fuit. Vestimentis civilibus indutis, una cum Materæ iuvene cui nomen erat Vincenzo Bilardi pugnavit et armis usus est in viis et in tectis ædificiorum. Nonnullos milites Germanos vulneravit et optimas informationes exercitui Anglico dedit. Captivo Germano egebat. Postero die in Materæ valedudinario ille notavit Michaellem Alfons illic esse vulneratum.


Ergo, duo documenta adhuc nescimus quæ non ad historiam intellegendam necessaria sunt, quia adhuc omnia recte sunt, sed tantum ad opus musivum complendum: documentum interrogationis Michaelis Alfons et documentum vel diarium a Mr Ganger scriptum, ut saltem nomen eius sciamus. Aliquando ea legemus.

Certe, post 70 annos homines qui Materæ die 21 mensis Septembris anni 1943 historiam tunc vixerunt, si vita defuncti nondum sunt, plus minus a 90 usque ad 100 annos nati sunt. Post unum annum, id est die 5 mensis Decembris anni 1944, Exercitus Anglici dux supremus cui nomen erat William Heddon de Materæ historia illa sic Anglice declaravit: «Matera atrocities are murders»,⁴ quæ sententia Latine «Materæ atrocitates cædes sunt» dicitur.

Quare, quæstio hodie iam non est culpam iudicare sed semper veritatem plenam scire ut memoria custodi possit ad libertatem servandam et ad dignitatem humanam iure corroborandam in Europa.

Oh Europam! Sine Civitatum Confoederatarum Constitutione atque sine Administratione Communi Confoederata «similis navi in procella sine gubernatore es!» Hoc Dantes Alagherius poeta de Italia dixit,⁵ sed hodie ad futuram Europam augendam dici potest. ☺

1. Giorgio Bocca, *Storia dell'Italia partigiana*, Bari, Editori Laterza, 1971, pag. 55.
2. Lutz Klinkhammer, *Stragi naziste in Italia. La guerra contro i civili 1943-44*, Roma, Donzelli Editore, 1977.
3. Miles «missus» significat sine exercitu vel sine officio militari, quia a ducibus domum missus fuit propter maximam belli confusionem. Armis relictis, ruri pedibus longum iter fecit dies noctesque a bonis agricolis adiutus. Milites Germani SS vocati militem missum occidere solebant ut exploratorem inimicum, sine probatione. Hoc rite Materæ factum est contra 8 milites missos qui Materam transibant.
4. Vittorio Sebastiani, *Matera atrocities are murders*, Edizioni Giannattelli, Matera 2014.
5. *Divina Comædia*, Purgatorius, pars VI.



DVLCE BELLVM INEXPERTIS

adagium 3001

DE BELLO ARAVCANO EPITOME

– scripsit Paulus Kangiser¹ –CAPITULUM PRIMUM²

Indigenæ Araucani, qui intra agrum Chiliensem sæculo XXI ineunte habitant, plerique sunt pacifici sed etiam exstant cœtus bellicosi, qui violenter sese gerunt. Affirmant enim suos esse agros quod a maioribus olim acceperint et postea Rempublicam Chiliensem ab eis eripuisse, de quo non est hic iudicandum. Facta vero, non sine rerum gestarum respectu, sive meditationis sive curiositatis causa, summam exponemus.

Primus autem armorum congressus inter Araucanos et Hispanos hieme anno MDXXXVI (1536) fuisse memoratur. Hispani enim, cum ad meridionalem Chiliæ partem iter haberent, in eo loco qui *Reinogüelen* nuncupabatur, cum indigenis ex silvis subito egressis conflixere, et utrimque fortiter pugnatum est. Aborigines tunc ignoti, qui tam strenui agrum defenderunt, ut postea repertum est, erant Araucani. Ea de causa Hispani illos fortissimos esse atque ex omnibus indigenis bellicosissimos iudicarunt. Hispanorum autem capitaneus cui nomen erat Alvaradus (vulgo *Gómez de Alvarado*), Didaci (vulgo *Diego*) Almagri iussu centum equites explorandi causa ad meridiem duxerat. Cum vero ad Almagrum redisset Alvaradus: «difficile esse ultra eos silvicolas transire, quod apud *Reinogüelen* pæne cladem acceperint».

Almagrus in valle Aconcagua, quæ est in septentrionali Chiliensi parte, castra posuerat; ibi Hispani quingenti indigenæque mille et quingenti, domicilium ad tempus habuerunt. Indigenæ a Peruvia in pace et amicitia cum Almagro duce in Chiliam convenerant. Consilium dux ceperat ab Aconcagua reliquam Chiliam peragrando, nam magnæ divitiæ præsertim auri copia inesse similiter ac in Peruvia putabatur. Cum comperisset id longe secus esse, cum omnibus suis Peruviam denuo petivit. In eo itinere quidam miles Hispanus aborigines decem catenatos duxerat crudeliter vexans. Milites vero Hispani qui Almagrum ex Peruvia ad meridiem erant secuti, pecunia ab eodem credita arma et instrumenta acceperant. Almagrus vero omnes suos ab ære alieno sponte liberavit et ipse solus totum expeditionis impendium œconomicum assumpsit.

CAP. II

Nunc oportet regionem paucis verbis et adumbratim describam. Venientes a Peruvia Chiliam ad meridiem inveniunt. Chiliensis regio putabatur pertinere usque ad Americæ ultimam terram australem. Ager Chiliensis angustus et longissimus erat et totus in longitudinem, frigidis Oceani Pacifici fluctibus, munifice lautus et piscibus conchyliisque plenus. Paucos autem fines aborigines certos habebant. Hispani paulatim

suos terminos imposuerunt. Peruviam vero inter et Chiliam amplæ solitudines patebant ubi indigenæ tribus, nisi ad litus, nullæ reperiebantur. Hunc eremum dies triginta viatores pedestres ægre transibant, equestres paulo facilius.

Almagrus in Peruviam reversus cum ducibus Hispanis, fratribus Francisco et Gonzalo et Hernando Pizarro, olim ei sociis, de imperio dimicavit. In hoc bello civili capitaneus Petrus Valdivia, rei militaris peritissimus, inter ceteros adversus Almagrum excelluit. Almagro devicto et capitis damnato Valdivia a fratribus Pizarro licentiam obtinuit ut Chiliam peteret eo consilio ut has terras sub Hispanica ditione, pacatis incolis, redigeret et gubernaret; attamen, quoniam villam rusticam amœnissimam et fructuosissimam argentique fodinam in Peruvia a fratribus Pizarro acceperat, id iter ad meridiem insania videbatur, nam in Chilia aborigines pauperes terram pauperiorem incolebant et quamvis armis pacari plerique possent, plus ad meridiem si quis intraret, bellicosissimos indigenas offenderet. Indigenæ autem Peruviani iamdiu in pace versabantur.

Petrus vero Valdivia non erat vir tam imbellis quam ut pericula vitaret; immo: omnia ista suum animum alliciebant, adeo ut, suis ipsius verbis, nihil nisi gloriam nomenque illustre posteritati relinquere cuperet. Uxore vero in Hispania relictâ, nullam progeniem gignerat; altera vero mulier Hispana, quæ in Peruvia habitabat, Petrum Valdiviam in Chiliam iter habentem secuta est. Hæc, cui nomen erat Inesia Suárez, prima inter Europæas fuit quæ in territorium Chiliense pedem imposuerunt.

CAP. III

In valle Aconcagua Valdivia stationem ad tempus fecerat et postea in aliam vallem paulo ad meridiem arma sarcinasque advexit, quæ vallis vocabatur vulgo *Mapocho*.³ Ibi oppidum mense Februario anni Domini MDXLI (1541) condidit, cui oppido Iacobopolis nomen indixit ut Sanctus Iacobus, Hispanorum patronus, honestaretur. Ab initio erat velut oppidulum quod paucas casas ex limo et palea exstructas continebat. Valdivia id oppidulum et loci amœnitatem et convallis conspectum amabat; et oppido, quamvis esset parvum, duos tamen burgimagistros dedit, magistratusque reliquos ad Europæorum mores instituit. Ipse ab incolis Iacobopolitanis gubernator creatus est; atque ne ambitiosus videretur munus pæne invitatus accepit. Nolebat enim munus suum periclitari, quod Almagristæ, bello civili superstites, contra fratres Pizarro in Peruvia adhuc dimicare dicebantur. Itaque potestatem, ab suis

saltem acceptam, legitimam habuit.

Indigenæ vero qui Mapotsii vallem incolebant, quamvis suspicaces tamen se pacificos præbebant. Valdivia cum alias valles et montes peragraret tum pacificos tum hostiles indigenas inveniebat. Ut vero gloria maiore gauderet, ad meridiem iter facere decrevit ad reliquas plagas in dicionem redigendas. Territorium enim Chiliense longum est atque inter montes Andes et mare Oceanum ab Septentrionibus vallibus hic illic transversis ad meridiem pertinet usque in plagas tunc incognitas, qua de causa Finis Terræ quoque nominabatur.

Agrum ubi Iacobopolis condita erat, Michimalongus⁴ indigenarum dux possidebat. Hic die III ante Idus Septembres eiusdem anni quo conditum erat oppidum, cum omnibus copiis oppidum aggressus est, casas incendit, multos vulneravit, aliquos necavit. Valdivia vero cum equitibus plagas procul peragrabat, ut indigenas ibi bellicosos, qui coalescere in Hispanos intendebant, dispergeret; adeoque ab Iacobopolitano oppido aberat (nam quattuor dierum iter distabat) ut auxilium suis ferre non potuisset. Tunc strenua excelluit Inesia Suárez, quæ desperatis rebus, defensoribus persuasit ut septem dominis indigenis, quos *caçikes* vocant, capita abscinderent et in turmam deicerent. Incertum est an suapte manu fecerit. Hi *caçikes*⁵ erant obsides quos pacificandi causa Hispani catenatos habebant. Indigenæ vero, cum dominorum suorum capita per aera eiecta viderent, valde hæsitant. Tunc Hispani, oblata occasione, in eos fortiter ruerunt et perterritos fugaverunt. Valdivia oppido fere refecto et Mitsimalongo devicto ac mortuo, in meridiem iter habuit, eo consilio ut ampliores sub dicione plagas haberet, oppidaque novis colonis conderet.

Pervenerat igitur in flumen latum et altum, Biobium⁶ vocatum, quod ab Iacobopoli D chiliometra distabat. Ibi quoque rivus est nomine *Andalién*, qui non longe a Biobio in mare influit. Indigenæ sub vespere die VIII ante Kalendas Martias anni MDL (1550) impetum magnum in Hispanos fecerunt, quos vicissent nisi Valdivia suos pugnam sustinere firmiter ac strenue imperasset. Totam noctem sub luna et stellis pugnatum est donec Hispani sub prima luce victores vix evenerunt; indeque bellum Araucanum aperte initium cepit. Indigenæ enim erant iidem, qui cum Alvarado⁷ anno MDXXXVI (1536) pugnaverant. Nulla igitur publica declaratione, sicut olim Romanis fetialibus mos erat, indigenæ usi sunt; idcirco utrimque de facto bellum eo tempore agebatur et in necopinantes hostes plus semel Araucani irruerunt.



CAP. IV

Petrus Valdivia tricesimum quintum annum agens in Chiliam pervenit, ab Extremadura oriundus, improcerus sed robustus, barbatus, flava coma, dominico decore et non mediocriter edoctus; exercitui Hispanico, atavorum more, quam primum potuit interfuit. Flandiam et Italiam miles adivit atque in magna pugna Paviana anno MDMXXV (1525) strenuus arma tulit; ibi enim Franciscus I⁸ Francorum Rex ab Hispanis erat captus; deinde capitaneus creatus domum rediit et Marinam Ortiz uxorem duxit; cui exiguo tempore post vale dixit, pericula et gloriam in America quæsiturus; otii enim provincialis eum tædebat.

In Americam pervectus, annum in Venetiola meruit, ex qua in Peruviam advectus est; ibi Franciscus Pizarro eum comiter accepit quia Valdiviam belli peritissimum cognoverat; etenim paulo post Valdivia Gonzalo Pizarro, Francisci fratri, contra Almagrum dimicanti, opem pertulit victoriamque dedit. Cupiditas mox in Chiliam impulit; primo in *Copayapu*, ex qua valle territorium Chiliense oriebatur, castra posuit; deinde in Aconcagua, denique ut supra dictum est, ad torrentem Mapotsium oppidum condidit.

Mapotsius re vera est rivulus qui de primis Andium montibus in flumen *Maipon*⁹ decurrit; qui tamen imbribus, sine frigore interdum delapsis, ita

aquarum incrementum capit ut magna cum clade per vallem prorumpat. Id accidit fere ter quaterve in sæculo, cum loco nivis pluviae super montes Andes cadunt.

Condita vero Iacobopoli, tres annos tristissimos degerunt coloni et indigenae auxiliares quos *yanaconas* (sive etiam *anaconas*) vocabant; at Valdivia sine laborum respectu alia oppida condere cupiebat; itaque iter ad meridiem habuit et, Araucanis apud Andalienem duro prælio devictis, Pencum castrum ad mare condidit; ibique postea aliud oppidum, Conceptio vocatum, mense Octobri anni MDL (1550), Valdiviae iussu oritur; denuo ad meridiem usque ad flumen Cautinum¹⁰ advectus, urbs Imperialis mense Aprili anni MDLII (1552) creatur.

Condendi sine intermissione cupiditas, usque ad magnum flumen vulgo *Calle-calle* vocatum, Petrum Valdiviam impellit; ibi novum oppidum eodem anno Valdivia condidit, quod oppidum Valdivia urbem fortasse caput fieri intendebat, cui nomen suum indixit; ideoque hæc urbs etiam Valdivia nominata est nam Petrus Valdivia nomen suum posteritati tradere cupiebat; qua de causa id flumen quod *Calle-calle* vocabatur, exinde flumen Valdivia quoque nominari oportuit.

Mente ad meridiem semper collineata, in fretum Magellanicum, qui Pacifici et Atlantici aquas in extrema America Meridionali commiscet, pervenire cupiebat; ea de causa Heronymum Alderete legatum in Aulam Regiam Hispaniensem licentiam petiturum mense Octobri anni MDLII (1552) cum commendationibus misit; attamen antequam legatus reverteretur, Franciscum Villagra per terram et Franciscum Ulloa¹¹ per mare in fretum Magellanicum commisit; alter non nisi in sinum, cui nomen *Reloncavi*, fere mille quingenta chiliometra a fretu distantem, pervenire potuit; alter fretum feliciter vidit et partim navigavit, iterque reditionis et marinum fecit; itaque omnia secunda Valdiviae videbantur.

Præterea auxilia per mare perque terram a Peruvia pervenerant et novus in Peruvia Præses, Petrus La Gasca, imperio ab Hispania accepto, Gubernatoris munus, quod Valdivia solis ab incolis acceperat, iure confirmavit, limitesque inter Peruviam et Chiliam certos indixit; idcirco anno MDLIII (1553) exeunte, progenies Hispanica in Chiliensi territorio videbatur insita et præter opinionem prospera, nam in aliquot rivulis aurei calculi passim apparebant, qui lavatoriis de aqua fluenti hauriebantur; in hac opera Hispani manibus indigenis utebantur, quia ex lege Hispanica hi fiebant Regis vectigales et colonis commendati erant, eo consilio ut pecuniam vectigalem Regi debitam certo et nominato colono darent; attamen cum

pecuniam nullam aborigines haberent, pro pecunia vel auriferis laboribus vel agricolis inservire ad tempus cogebantur. Valdivia militibus qui strenue in bello interfuerant iam pacificos iam pacatos indigenas commendabat. Hæc institutio ex lege commenda vocabatur et colonus commendator.¹²

CAP. V

Araucanorum indoles non eadem erat ac reliquorum indigenarum, qui Americam Meridionalem incolabant; horum plerique Hispanicæ potestati parebant, Evangelium a missionariis exaudiebant, progeniem mixticiam procreabant, advenas sæpe pacifice interdum bellicose tractabant; et postea quam Europæi has regiones gubernare cœperunt, bella raro oriebantur (et hostibus indigenis deficientibus Hispani inter sese bello civili dimicant vel Almagrus et fratres Pizarro). Araucani vero quamvis eadem lingua quibus ceteri partim uterentur, tamen indolem propriam et animum bellicosum, ut fama docet, semper habuerunt; etenim hi e planitie Argentiniensi, antequam Hispani in Americam pervenerunt, ad Occidentem, montibus Andibus superatis, in Chiliam irruperunt, et in ea plaga, quæ est inter flumina Itatam et Toltenum, statuerunt agrum ac domicilium, quo alia flumina continentur vel Biobium et Cautinum; Nahuelbutaque mons inter Biobium et Toltenum mille et quadringenta metra excellit; huius montis in cuspide Araucariæ arbores millennariæ, pinorum genere, quas aborigines *pebuenes* nominant, passim crescunt et fructus edules gignunt; pecore, avibus sationibusque Araucani ad ipsorum necessitatem utebantur; itaque quamquam multi indigenæ Hispanis incolis vel sponte vel ægre inserviebant, Araucani contra bellum gerebant sive in hostem sive advenam, quem latronem (in ipsorum lingua *buinca*) utrumque nuncupabant.

Valdivia autem gubernatore et terris ut credebatur pacatis, Hispani in Chiliam migrare cœperunt; præterea litteræ notitiæque trans mare volitabant, adeo ut Marina Ortiz, Valdiviæ uxor, iter in Americam facere iam decrevisset et cum propinquis navem ascendisset; incolæ vero Hispani ad mille tunc pervenerunt, qui si uno loco coalescerent exercitum in agmine paravissent; at separatim et ubique dispersi, inermes fiebant, quippe quod oppida et pagi et villæ necnon castra castellaque passim oriebantur; itaque non omnia tranquilla sese gerebant.

CAP. VI

Erat inter Araucanos juvenis annorum duodeviginti, nomine Lautarus, qui duobus fere annis in stabulo

Hispanis et Valdiviæ ipsi equos custodiverat; sic potuit dominorum instituta moresque pernoscere ut vires eorum et imbellicitates dissimulanter observaret atque existimaret; olim fuga ad suos reversus, genus belli gerendi machinatus est et reliquis communicavit ut hostes tandem possent devincere.

Valdivia autem ultra flumen Biobium prope montem Nahuelbutam castellum extruxerat *Tucapel* nuncupatum; illuc quinque equites ut præsidium esset firmius, mense Decembri anni MDLIII (1553), quoniam tumultum timebat, miserat; sed antequam in castellum Tucapel pervenirent, impetum indigenæ fecerunt, eorum tres necarunt, duo in fugam se dederunt; eodemque tempore id castellum ab Araucanis dolo oppugnatur, nam indigenæ introierunt velut si de more poma adferrent venalia; castellani, quamquam oppugnatores repulerunt, tamen postea, novum difficile prælium formidantes, in aliud castrum confugerunt; interea Valdivia ab urbe Conceptione cum quinquaginta equitibus et paucis indigenis auxiliariis, primo ad castrum Araucum deinde ad Tucapel, protegendi suos causa, proficiscitur; prope Tucapel suspecta erat quies; tunc Valdiviæ iussu quattuor equites ad castellum speculandi causa accesserunt; quibus non reversis, dux ad castrum Araucum redire statuit ut reliquos milites subsidio haberent; at non omnes milites duci consentiunt et iter pergere malunt; in yanaconis autem, qui comitabantur, erat fidissimus puer Augustinellus;¹³ is cum periculum præsigiret ad Valdiviæ pedes se proiecit et cum fletu «memento – ait – domine, noctis illius ubi ad Andalienem durum prælium pugnasti»; at reliqui sodales pæne inexperti suaserunt ut iter pergerent in Tucapel et bellandi consilium perficerent; quibus in Tucapel pervectis, nihil nisi ruinam et solitudinem invenerunt; subito vero e nemore circumstanti bellatores magno tumultu emergunt, quos primo Hispani celeriter fugant; deinde brevi tempore novi bellatores fortiter hostes denuo oppugnant; hos item Valdivia et sodales dispergunt, sed turmatim in defessos hostes per intervallum Araucani pugnare pergunt, et ita porro; tunc Valdivia «quid – inquit – agendum est sodales?»; et capitaneus Altamiranus respondet «quid aliud, magister, nobis agere iubes, nisi ut pugnemus et moriamur?» Bellandi Lautarinum genus paulatim Hispanis vires exhaurit; bellatores relecti in defessos hostes incidunt; Hispani alii alio fuga salutem quaerunt, donec omnes ad unum de iumentis deiectis corpus et spiritum tradunt; de duce ipso Valdivia nemo unquam postea audivit, nisi ab indigenis, qui narrabant magna clava esse caput eius percussum et deinde cor, aperto pectore, ad ritum extractum et partibus minutis

a cazikiis devoratum; sic enim ab atavica consuetudine, quam vocant *admapu*, postulabatur.¹⁴ ☞

-
1. Hæc quidem epitome non totum narrat bellum, sed eius primos fere viginti annos. Auctor gratias agit Patri Iosepho Io. Del Col SDB, qui menda expurgavit et textum Latinius reddidit.
 2. Inter alia opera videri potest: Pedro de Valdivia: *Cartas (1545-1552)*, Introducció por Jaime Eyzaguirre, Editorial del Pacífico, Santiago de Chile, 1970.
 3. *Mapocho* sonat Hispanice fere *Mapotsio* cui Latinitatis regulis constrictus *Mapotsio* nomine usus sum.
 4. Hoc verbum sonat fere Mitsimalongus, quo deinde utemur.
 5. Sonat fere singulariter *cazike*; est autem verbum a lingua Taina, qua in Antillis indigenæ utebantur ut singulos cuiusvis tribus regulos nominarent, et fortasse ipsi Hispani in Americam meridionalem importarunt; ita porro dicemus Latine cazikius (-ii). Araucani vero cuiusque familiæ caput *lonko* adhuc nuncupant, ducem vero militarem *toqui*; quæ verba Latine lonkus (-i) et toquius vel tokius (-i) dicemus; apud Havestadt invenitur *caçiquius* = vir nobilis, dives, locuples; *lonco* = familiæ caput; *toqui* = Supremus Belli Dux (Bernardi Havestadt: *Chilidugu, sive Res Chilenis vel descriptio status tum naturalis, tum civilis, cum moralis Regni populique Chilenis inserta suis locis perfecte ad Chilensem Linguam Manuuctioni deo O.M. multis ac miris modis Juvante*, Lipsiæ, Typis B. G. Teubneri, 1777).
 6. Quod nomen vernaculum *Bio-Bio* per vim in Latinitatem induximus.
 7. Is est Gomez de Alvarado; nomina Hispanica porro usurpabimus in ea forma quæ propior sit Latinitati vel facilius Latinæ morphologiæ aptari possit; præterea apud Regiæ Academiæ Hispanicæ Grammaticam præpositio «de» nihil de nobili sive nobiliaria origine publice comprobatur; qua de causa in nominibus Hispanicis præpositionem «de» plerumque omitimus.
 8. Franciscus eius nomine primus.
 9. Maipón -i, n.
 10. Vulgo *Cautín*; nomina vernacula, quæ nunquam antea Latine essent translata, in Caroli Egger Lexico quaerimus; quæ nisi reperimus, quoad potuimus et ad Bellum Gallicum, more Cæsariano, in Latinitatem induximus.
 11. Ulloa sonat fere *Uyoo*; similiter Viyagra (Villagra); digraphus 'll' Hispanice pronuntiatur affricative; simili modo flumen *Calle-calle* sonat fere *Caye-caye*.
 12. Hispanice *encomienda* et *comendador* (José Juan del Col: *Diccionario Auxiliar Español-Latino, para el uso moderno del latín*, Instituto Superior Juan XXIII, Bahía Blanca, Argentina, 2007); sæpe etiam *encomendero*.
 13. Hisp. *Agustinillo*.
 14. P. Diego de Rosales (1603-1677): *Historia General de el Reino de Chile, Flandes Indiano*, Selección, Prólogo y Notas de Alfonso Calderón, Editorial Universitaria, 1969 (pag. 79).

THESAVRVS IN LVNA

- scripsit Gaius Licoppe -

Die 14 m. Decembris a. 2013 Sinenses valuerunt robotum in Luna ponere, «Chang'e-3» vocatum, i.e. dea Luna in eorum mythologia. Ex hoc maiore roboto exiit aliud, minus et mobile, «Yutu» nomine, quo designatur cuniculus ex iliaco lapide (*jade*), deæ Lunæ comes.

Hoc experimentum tertium est ambitiosi lunaris programmatis Sinensium, cuius scopus est coloniam in Lunam deducere. Cur? interrogas. Quia thesaurus inventus est in solo Lunæ!

Oportet recordari Americanorum programma lunare «Apollo» inter annos 1961-75 effectum; missilia tunc Lunam appulerunt, quæ primos homines in solo Lunæ deposuerunt; qui secum in Terram reportaverunt 362 chiliogramma e lunaribus rupibus deprompta.

E scientifica lunarium fragmentorum analysi inter alia apparuit solum Lunæ magnam copiam helii 3 continere. Nemo hodie est, qui nesciat singula elementa complures formas atomicas habere, quæ vocantur «isotopa». Helium octo isotopa habet, e quibus duo tantum, helium 3 (^3He) et helium 4 (^4He), sunt stabilia, ceteris celerrime evanescentibus. In Terra solum exstat helium 4, gasum rarum.

Tempore huius inventionis helium 3 videbatur esse nullius utilitatis. Res mutata est annis octogesimis, cum in Universitate Visconsinia (*Fusion Technology Institute*) inventa est reactio fusionis cum helio 3.

Omnes autem recordantur duas bombas atomicas, quas Americani in Iaponiam anno 1945 iecerunt; hæ erant bombæ, quarum energia provenit ex fissione uranii 235 (^{235}U), rari isotopi huius gravis elementi. Paucis annis post Americani bombam multo potentiolem experti sunt, cuius energia iam non fissione gravis elementi producebatur, sed fusione leviorum elementorum, deuterii et tritii, hydrogenii isotoporum.

Novum genus fusionis in Universitate Visconsiniana inventum multo melius est quam primum. Fusione enim deuterii et helii 3 gignuntur helium 4 et protonum; non solum ergo hæc reactio quisquiliis radioacti-

vis caret, sed insuper emissum protonum, cum sit onere positivo præditum, duci potest et electricitatem directe gignit.


Infeliciter vix exstat helium 3 in Terra, non amplius 200 chiliogramma, ut putatur. Si consideramus 200 tonnas helii 3 sufficere ad necessariam energiam Americæ Fœderatæ et Unionis Europææ per integrum annum suppeditandam, patet hoc isotopum verum esse thesaurum; helium 3 Lunæ possit totius orbis terrarum energiam suppeditare per decem milia annorum!

Sinenses, quibus sunt magnæ fodinæ carbonis fossilis, eo multum utuntur ad electricitatem producendam, sed atmosphæram maxime polluant. Insuper energia necessaria huic magnæ civitati, ubi vivunt unum miliardum et trecenti miliones incolarum, in annos augetur. Putant ergo helium 3 sibi fore optimum remedium, sed poteritne hoc fieri?

Imprimis enim, licetne fodinas in Luna instruere ad usum alicuius civitatis? Iam anno 1967 pactum est inter complures civitates fœdus, quo agitur de exploratione et usu spatii extra atmosphæram, inclusa Luna et ceteris corporibus cælestis; hoc fœdus postea confirmatum est a Cœtu Generali Unitarum Nationum, quarum particeps est Sinæ. In articulo autem secundo legitur hoc: «neque ulli civitati licet partem spatii extra atmosphæram, inclusa Luna et ceteris corporibus cælestis, occupare, neque ea uti ad usum proprium».

Altera difficultas: antequam fodinæ helii 3 in Luna instrui possint, multæ nec minimæ difficultates technicæ sunt superandæ, id quod non ante 50 annos fieri poterit, ut putant specialistæ; insuper maximi pretii constabit.

Denique adhuc quæritur quomodo energia pacifica producat atomorum fusione. Hoc enim est perdifficile, quare 35 civitates, inter quas Sinæ, participant propositum ITER (*International Thermonuclear Experimental Reactor*), cuius rectorium in Francogallia situm est. Adhuc vero plus energiæ in hoc instrumento consumitur, quam producitur...



In hoc fasciculo !

Cedat vis ingenio [G. Licoppe] p. 1
De 'Agnō mystico' claro retrotabulo [F. Deraedt] p. 2
Elocutionum exercitationes [F. Arnoud] p. 6
De Materæ cædibus in altero bello mundano [V. Sebastiani] p. 9
De bello Araucano epitome [P. Kangiser] p. 12
Thesaurus in luna [G. Licoppe] p. 16

*Imago tegumenti: manus Iobannis Baptistæ librum tenens,
e retrotabulo 'Agni mystici'
Gandavi in ecclesia cathedrali sancti Bavonis servato.*

INSTITVTIO LINGVÆ LATINÆ

in museo Domus Erasmianæ a Melissa præbetur omni Martis die ab hora
18 ad horam 19.30. Duo sunt lectionum gradus, et incipientibus et magis
progressis apti.

Si quis plura scire cupit : tel. + 32 (0) 475.47.55.18, g.licoppe@skynet.be



MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$

BNP Paribas Fortis : 001-6287115-39

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539

